Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2283
Quelle:
Copyright:

Vita ſua et divinis favoribus in ſe conlatis ſcripſiſſe dicitur *Job. Maria de Cruce* Fundatrix et Antiſtita Parthenonis S. *Caroli*, *Roboreti* in *Tyroli*. Ita Titulus: *Indice Capitolare De' Libri compoſti d' ordine di Dio, e de' ſuoi Superiori dalla Spoſa di Chriſto Suor Gioanna Maria della Croce, Fondatrice et Abbadeſſa del Venerab. Monaſtero di S. Carlo in Roueredo.* Liber X. qui nondum completus dicitur, finit in anno 1667. Multa hic mira Viſionum, Revelationum, Soſpitationum, Liberationum e flammis piacularibus, qualia in *Hildegardis*, *Eliſabethae*, *Birgittae*, aliarumque recentiorum piarum Virginum Vitis, Scriptisque legas. Ad *Aſteriſcum* variis Capitibus adpoſitum notat Scriba: *Queſto Segno dinota Intelligenza, o gratia Diuina ottenuta alla Ser*ma. *ed Aug*ma. *Caſa d' Auſtria, o ad alcun Perſonaggio della medema.* Harum non una ab igne purgatorio liberata narratur. De hac ceterum Matrona, antequam Clauſtrum ſubiret, dicta *Bernardina Joſephi Floriani* Civis *Roboretani* et Pictoris filia, quae a. 1603. nata a. 1673. obiit, adi, ſi lubet, *Jac. Tartarotti Saggio della Bibliot. Tirolese. In Rovereto 1733. p. 70. 8.*

DCIV.

243 Codex membraneus lat. Sec. XIII. expirantis Folior. 102. f. luculente ſcriptus et rubricis diſtinctus continet praemiſſo indice *Capitum* CXXIX. Dicta PP. et quorundam Philoſophorum de Virtutibus et Vitiis. Titulus eſt: *Incipiunt Collecta quedam* (hae duae voculae atramento reſcriptae ſunt) *Fratris Erchengeri Monachi Sancte Crucis.* Monaſterium iſtud Ord. *Ciſt.* in inferiore *Auſtria* fundatorem agnoſcit B. *Leopoldum* Marchionem anno 1136. Caput I. eſt *de ſpiritu ſancto*, et incipit a loco Bernardi: *Venit ſuper diſcipulos ſpiritus ſanctus in lingvis igneis* &c. Ultimum inſcribitur *de Monachis*, et in haec Bernardi verba definit: *Ideo grande malum propria uoluntas. qua fit ut bona tua bona non ſint.* Adhaerent in calce brevis nota: *Qualiter ſe homo probare debeat*, volens Chriſti corpus ſuſcipere, et *Verſus* hiulci de 7. Vitiis capitalibus, ſed manus recentioris. De *Erchengero* compilatore nihil reperio. Codici praetexta ſunt folia duo vetuſti *Necrologii* Coenobii memorati ſed abſciſſis menſium dierumque notis, ut adeo nihil, niſi praecipua nomina, inde repraeſentare liceat. Sunt vero: *Hainricus dux Auſtrie qui dedit nobis Minchendorf. Otto de huſeke. Otto de hage. Hermannus de mutinſtorf. Adalhaidis de miſtelpach. Erneſtus filius leupoldi Marchionis fundatoris noſtri. Wlfkerus Aquilegienſis patriarcha. Maganus et Rudolfus Abbates de cella Sancte Marie. Gerlaus abbas runenſis* (ante an. 1156.) *Poppo et Pertoldus Epiſcopi Pataviense*s. *Chunradus abbas Montis Sancte Marie. Heinricus trecenſis*